



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

Punct. I. Explicatur obiectum intentionis & electionis.?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

representetur, tum illud amare tenebitur, sed talis propositio, seu representatio non semper occurrit.

Arguit secundo, nullum hominem posse scire in hac vita, an per puram omissionem, an per actum positivum cesset ab omnibus volitionibus; quod si per actum positivum se applicat ad volitiones suspendendas, iam tunc voluntas elicit actum, quo dicat, volo omittere, quem si non eliciat, necessario aliquid ex relatis est elicitura. Resp. admittendo nullum posse scire in hac vita, an cesset ab omni actu, & implicare sciri, neque apprehendi ab aliquo, nisi per summam ignorantiam; voluntatem cessare ab omni actu per actum positivum; implicat enim ab omni actu cessare, dum habet actum positivum; nego tamen, hoc deficiente, necessario voluntatem elicaturam aliquid actum ex relatis à Patre Ruizio.

Arguit tertio, & hoc argumentum probationem principalem suae conclusionis esse dicit: numquam posse voluntatem se reducere de potentia ad actum & redire ad habendas volitiones, nisi vera sit conclusio ab ipso tradita. Sequelam probat, quia postquam voluntas libera voluit suspendere omnem actum collectivum per tempus, v. g. semiquadrantis horae, transacto illo semiquadrante, nihil est, ratione cuius voluntas possit redire ad exercitium suarum actionum, neque se ad volitiones determinare, quia volitio praeterita, quae omissionem per semiquadrantem praefixit, nihil reliquit in voluntate, ratione cuius, illo tempore transacto voluntas se possit determinare, quia non potest liberam volitionem inchoare, quin aliqua volitio necessaria exercitium libertatis praecedat, quod probasse dicit scilicet.

Supponit Doctissimus Pater voluntatem se debere determinare per actum positivum ad omissionem, calu, quo illam sit habitura, quod falsum iudico, quia illa voluntas, quae diceret, volo omittere omnem actum, non conduceret ad omissionem suis, facilius enim voluntas illa volitione careret, si eam non habuisset, neque ad volitionem aliorum actuum, quia tempore, quo esset tota omisio omnium actuum collectivum sumptorum, non erat futura illa volitio: ergo per se ipsam ad nihil poterat voluntatem determinare, volitio enim, quae non est, sed fuit, nihil potest influere, nisi media sui cognitione, cognitio autem voluntati diceret: tu proposuisti suspendere omnem actum, vel quodvis aliud novum obiectum proponeret, in quod posset voluntas tendere actu positivo, ac proinde difficiliorem omissionem redderet. Ex his respondeo, voluntatem posse cessare ab omni actu, absque eo quod praecesserit aliquis actus positivus, quo se ad cessationem determinaverit; sed per puram omissionem se constituendo pure omittentem, & determinatam ad omissionem, sicut determinatur ad actum amoris per ipsum amorem absque eo quod praecesserit actus, quo dicat, volo amare. Eodem modo affirmo; voluntatem posse in quocumque instanti ad positivum libertatis exercitium redire, ex vi cognitionum, quibus voluntas liberè omitebat, quod posset in quocumque instanti semiquadrantis efficere, etiamsi antea de crevisset, per illud tempus omittere, quia actus, quo diceret voluntas, volo per semiquadrantem omittere, non ita illam necessario determinaret ad omissionem, ut non posset operari, & non omittere toto illo tempore. Illud quod addit, voluntatem in quolibet negotio incipere ab actu necessario eiusdem voluntatis primum actum liberum praecedentem, forsan non est verum, quia ex eo quod obiectum ab intellectu voluntati proponatur sub ratione boni, & mali, voluntas poterit absque alio praevio actu eiusdem, liberè illud amare, vel odio afficere. Sectionem tertiam, quae id probasse dicit, legi totam, in quam eruditione, quam in omnibus hinc author doctissime affectat, reperi, nihil tamen ratione, neque autoritate firmum ad conclusionem probandam inveni. Si autem verum sit voluntatem incipere in quolibet negotio ab actu necessario, in his ad quae positivum determinat, in illis, in quae per puram omissionem tantum tendit, hoc admitti necessarium non est.

Arguit quarto, Si Deus non necessitat voluntatem quoad exercitium aliquam volitionem determinatam vagè, non poterunt defendi S. Thomas, & alij Scholastici dicentes causas secundas necessarias, & liberas moveri & applicari à Deo non solum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium. Resp. Deum applicare, & movere causas secundas liberas quoad exercitium, quia illis praebet concursum generalem, & cogitationes ministrat, quae causam

liberam ad exercitium actus movent, & inclinant per modum actus primi, dependenter tamen ab illius libertate, ex vi cuius poterit voluntas, supposita hac applicatione, & motione per modum actus primi adhuc in sensu composito, non se aliquo positivo actu exercere.

Arguit quinto, non posse, nisi in sua sententia conciliari testimonia S. Thomae & aliorum, afferentium voluntatem non necessitari ad volitionem boni, seu beatitudinis in communi quoad exercitium, & postea affirmantium, talem volitionem esse necessariam. Respondeo, non pertinere ad perfectam huius difficultatis tractationem, testimonia relata conciliari, & in quacumque sententia, ut sonant explicata sunt difficilia, nihil enim est aliud, voluntatem necessitari, quam actum necessarium elicere. Possunt tamen praedicti Doctores intelligi, cum dicunt voluntatem necessario amare beatitudinem, seu bonum in communi, de voluntate praevia cogitatione boni, & beatitudinis sine admixtione mali; quando verò non dicunt, non necessitari ad hanc volitionem quoad exercitium, sed quoad specificationem, interpretari possunt de voluntate secundum se, propterea alitrahit ab ipsa praevia cogitatione, vel sine illa, quia quando voluntas non praevenerit cognitione boni, seu beatitudinis in communi, non est necessaria ad exercitium, ad quod adhuc non est proxime potens, est tamen determinata semper quoad specificationem, quia ratio boni in communi, ut sic, numquam potest odio haberi.

Arguit sexto, secundum doctrinam ab ipso traditam, Angelis fore similiorem animum rationalem, qui nunquam possunt ab omni actu cessare. Respondeo, naturam voluntatis humanam me, constituere ex principiis Philosophicis, & effectibus, quos in illa agnosco, independentem à maiori vel minori similitudine cum Angelis, de quo modo non curo, neque aliquid definio, quia nihil de similitudine extremorum potest tradi, quovisque uniuscuiusque natura exactè sit explicata.

CONTROVERSIA XI.

De intentione & electione.

PUNCTUM I.

Explicatur obiectum intentionis, & electionis.

NON omnes actus voluntatis, primus omnium est quidam simplex affectus, quo bonum voluntati placet secundum se consideratum, absque ullo ordine ad possessionem, absentiam, vel praesentiam illius. Affectus iste primogenitus voluntatis, nomen genitricis assumit, & voluntas dici solet: aliàs amor strictus, propterea distinguitur à desiderio, quod bonum adquirendum respicit, & gaudium, quod iam adquisitum intuetur. Ex hoc actu omnes alij, quibus voluntas obiectum prosequitur, originem trahunt: inter quos unus est desiderij actus qui respicit bonum obtinendum. Desiderium istud aliquando est in ordine ad media, aliquando sine illo respectu ad ipsa, saepe enim quis desiderat obtinere dignitatem praecise ex eo quod illi representetur commoda, & illa careat, quia illi in particulari, neque in confuso media aliqua in ordine ad illam adquirendam representantur. Frequentius tamen desiderium istud ordinem dicit ad media aliqua, confusè, vel determinatè cognita, quibus dignitas illa adquirenda est, & illam voluntas dependenter à medijs adquirere desiderat, cuius applicationem virtualiter, & quasi implicite amat, quia eo ipso quod quis enixè desiderat honorem Crucis D. Iacobi obtinere medijs obsequiis Regi factis, & facinoribus egregijs pace, belloque perpetratis, virtualiter vult illa obsequia Regi praestare, & hac facinorosa peragere, ut dignitatem, & propositum sibi honorem consequatur.

Hae desideria aliquando sunt efficacia, aliquando non efficacia sunt. Efficacia dicuntur illa, ex vi quorum nullum non medium ponitur ad finem obtinendum, & componi nequeunt cum omissione positionis mediij requisiti

ad propositum sibi finem consequendum, dummodò tale medium in desiderantis potestate sit.

3 Ex his desideris, illud quod efficax est, & media connotat, in omnium sententia intentio dicitur desiderium aliud quod non necessariò infert mediorum applicationem, ab aliquibus excluditur à ratione intentionis, dicunt enim hi de ratione intentionis esse efficaciam per modum actus primi, & connexionem cum mediis, quæ à voluntate dependent. Desiderium aliud, quod media non respicit, quia regitur ab actu intellectus non representante, neque confusè, neque explicite media aliqua, ferè omnes Authores à ratione intentionis explodunt. Sed adhuc illud attentionis mentis rimandum intui. Foran enim illius natura expressius cognita sibi intentionis rationem arrogabit. Potest voluntas efficaciter amare bonum aliquod sibi acquirendum, affectu quodam regulato per actum, neque expressè, neque confusè proponentem media ad illud consequendum, ita ut liberum voluntati non fuerit, aliquid de mediis vilo modo decernere, tamen ex vi illius desiderij, sic esse affectam circa tale obiectum, ut propositis mediis ab intellectu, quibus talis finis est consequendus, ex vi illius primi desiderij illa prosequatur voluntas propter finem prius amatum obtinendum, tali modo, ut licet primum illud boni desiderium, neque expressè, neque confusè, media tetigerit, sicut tangit illa actus, quo dicit voluntas, volo obtinere dignitatem per media, tamen illa tangit quasi interpretatiuè, quia ex vi illius, ut primum media proponantur ab intellectu, voluntas alio actu ferretur in illa, & propter bonum illud desideratum obtinendum, illa mandabit executioni. Huiusmodi desiderium nullo modo à ratione intentionis excludendum puto: Etenim ex vi illius potest esse electio mediorum, & popositi finis certa exequutio. Ergo propriam & rigorosam intentionis naturam, & conditiones apprime conseruabit.

4 Ad desiderij actum, quo ita afficitur voluntas circa finem, cuius media non sunt ab intellectu proposita ex vi cuius mediis positis potest voluntas moueri ad illorum electionem, etiam huiusmodi electionem necessariò non inducat, non esse vilo pacto excludendum à ratione intentionis, si intentio aliqua ex se non efficax admittatur, quam quidem iure optimo admittendam cenfeo. Ratio est: quia affectus ille, quo voluntas tendit propter se in aliquod bonum, ex vi cuius potest voluntas determinari ad applicationem mediorum, & finem propter se amatum obtinere non sine iniuria à ratione intentionis excludetur.

5 Affectum alium efficacem in voluntate reperio, circa bonum acquirendum, propter suam bonitatem amatum independentem à mediis, quia nullum est necessarium ad tale bonum obtinendum verbi gratia affectus, quo ego potens elicere actum virtutis, amo illius exercitium propter honestatem intrinsecam ipsius independentem à mediis, quia nullum est requisitum ad exercendum talem actum, qui immediatè est in voluntate, quem ego inter intentiones annuero, quia de ratione intentionis puto non esse connotationem ad media, quando hæc necessaria non sunt ad finem, sed bonum propter se amatum obtinendum, quia de ratione intentionis tantum est, virtualiter velle omnia, quæ requisita sunt ad finem obtinendum & media illa teneri amare voluntas ex vi intentionis, quæ necessaria sint, plura, vel pauciora, & præter necessaria, non alia: ergo si nullum medium est necessarium ad finem obtinendum, non erit contra rationem intentionis talis finis nullo modo agere de medio. Alio modo posset talis effectus dici propria intentio, quia ex vi illius ita est affecta voluntas, ut si media necessaria essent ad obtinendum tam finem, illa applicaret. Exemplum adhibui in actu interno internum alium imperante, quia vix potest obiectum externum inueniri, in quod voluntas feratur independentem ab aliquo medio, si enim intendam elargitionem externam elemosynæ propter honestatem virtutis, honestas virtutis distinguitur ab ipsa actione externa, & hæc potest se habere tanquam medium respectu illius, si actum comedendi, vel deambulandi propter delectationem capiendam, delectatio quæ se habet tanquam finis intentus distinguitur à deambulatione, & comestione, quæ se habent tanquam media: & sic de quocunque alio obiecto externo, medium aliquod inueniri poterit.

6 Ex dictis constat, tantum excludendum esse à ratione intentionis ex actibus, quibus voluntas bonum acquirendum

amat propter se, actum quo ita gelidè voluntas bonum prosequitur, ut ex vi illius volitionis nullum medium eligere valeat, talis est actus quo quis velle sibi naturam Angelicam impetrare, vel se in Deum conuertere.

Ex his inferes, malè docuisse Aureolum apud Capreolum, in secundo distinctione decima quarta, quæst. 1. intentionem non esse actum voluntatis, sed circumstantiam electionis, quia intendere est aliquid gratia hoc facere, quod circumstantiam electionis tantum importat, neque omnino standum esse D. Bonaventuræ asserenti in 2. distinct. 1. part. 2. quæst. 2. intentionem æquè ad voluntatē, & ad intellectum pertinere, sed dicendum, totam illius rationem formalem in actu voluntatis sitam esse dependentem ab actu intellectus, ac proinde hunc prærequiri ad intentionem, non tamen esse de ratione formali illius, ita D. Tho. 1. 2. q. 8. & ferè omnes Doctores in 2. dist. 38. ratio est, quia intendere est, tendere in aliquod obiectum per affectum, quod proprium est voluntatis: a posteriori etiam probatur quia ex intentione præcipue dependet bonitas, & malitia operum, & harum illa est præcipuum fundamentum: popositi enim ex se bonum, dicimus vitari ex intentione, & malitiam trahere ex illa, ex quo inferitur, intentionem esse actum voluntatis, quæ fundamentum est proximum bonitatis, & malitiæ, & subiectum illius. Neque refert, intentionem esse circumstantiam electionis, ut actus voluntatis non sit, quidam enim actus alius circumstantiæ esse optimè potest, itaque concedendum est Capreolo, intentionem esse circumstantiam electionis, sed negandum est illi non esse actum voluntatis.

Electio est volitio efficax rei particularis, quæ non propter se amatur, sed propter finem intentum ad quem conducit. Differt ab intentione, quia illam supponit, & quia intentio fertur in suum obiectum, propter se ipsum, neque propter bonitatem propriam illius sed propter finem, intentum consequendum. Dixi electionem esse volitionem rei particularis, quia electio, ut postea dicam, supponit consultationem, & consilium intellectus, circa medium conducent ad finem obtinendum, ex quo consilio prouenit, ut voluntas medium, quod illi fuerit propositum aptum ad finem obtinendum, amplectatur propter ipsum finem, & illud ab aliis, quæ omittit seceat. Hac ratione volitio mediorum propter finem electio dicitur, cuius nominis significatio importat discretionem vnius ab alio, vel ab aliis quibus est coniunctum. Quod si posita intentione efficax finis, voluntas nullo consilio præeunte circa bonitatem mediorum, eliciat actum, quo dicat, volo elicere media propter finem non respiciendo medium aliquod in particulari, talis volitio non erit electio perfecta, quia non erit immediatè efficax, actus enim qui nullum medium in particulari respicit nullum in particulari potest efficere, medium autem in communi non efficitur, neque talis actus consilium supponit, quod est de ratione intentionis, neque vnum fecerit ab alio, neque erit appetitus præconsiliati, id est medij electi præsupposito consilio intellectus, quod est de ratione electionis, ut docuit Aristoteles, ethic. 2. 2. & ex illo eodem Philosopho, & S. Thoma, Damasceno, & aliis rectè ostendit P. Vasquez 1. 2. disp. 4. c. 3. & Soar disp. 18. sect. 1. sapienter tamen naturam electionis, actus, quo voluntas amat media in communi propter finem obtinendum, quia vult illa, quæ vitia sunt ad finem propter intentionis morium.

Insurgit difficultas, an volitio medij vnicuique propter finem obtinendum habeat rationem electionis. Pars negatiua susteri potest, quia eligere est vnum præ alio sumere, vbi autem vnicuique est medium non potest illud sumi præ alio, si quidem non est aliud, quod assumi possit. Deinde vbi non sunt plura media, non potest esse consilium intellectus circa illorum electionem, neque potest vnum cum alio conferri, ut hoc assumatur, illo relicto: ergo non potest esse electio. Propter hanc rationem, negantem sententiam tenet P. Vasquez 1. 2. disp. 43. c. 2. n. 11. & q. 34. art. 4. num. 12. vbi plura adducit testimonia Aristotelis asserentis, idem esse consultabile, & eligibile, ex quo infer, medium vnicuique non esse eligibile, quia non potest esse consilium de illo, quod necessariò est eligendum. Consentit P. Salas 1. 2. t. 1. lib. 6. sect. 5. S. dico tertio, ad finem. Nihilominus dicendum est cum Soar, supra num. 2. volitionem vnicuique medij propter finem obtinendum esse propriè electionem, licet enim non participet rationem illam, à qua nomen electionis est impositum, videlicet discretionem vnius ab alio, tamen habet

habet totam rationem intrinsecam, quam haberet volitio eiusdem medij etiam si non esset vnicum, quia volitio medij vnicui tendit in idem obiectum materiale, & formale, in quod tenderet, si tale medium vnicum non esset, quod si non illam precedat consilium, quo media conferuntur, præcedit tamen cognitio practica, quæ iudicatur, medium illud esse vtile, & prudenter applicari ad finem obtinendum, & similiter præcedit consilium, non de prælatione mediorum, quæ non apparent, sed an sint alia media, vel non, ad finem obtinendum, an illud medium, quod vnicum apparet, & habet veram, vel apparentem tantum utilitatem ad finem obtinendum, & ex vi cognitionis, quæ cognoscitur, habere veram utilitatem, secedit ab aliis rebus, quæ vtilia non apparent, & his, quæ vtilia apparent, & non sunt.

IO Obiectum electionis debet esse aliquid, quod à nobis fieri potest: conspirant in hanc conclusionem omnes, qui de hac re agunt. Ratio est manifesta: ex intentione mouemur efficaciter ad media ponenda, & ad aliquid operandum, vt finis obtineatur: ergo debent talia media posse à nobis poni, & tales operationes esse in nostra potestate, alias voluntas non ad illas efficaciter moueretur, nequit enim voluntas efficaciter ferri in obiectum, quod non illi repræsentetur, vt possibile. Quod si aliquando eligamus illa, quæ non facimus, vt cibos, ligna, ignem, &c. illa eligimus eo modo, quo sub nostram cadunt potestatem, quatenus nobis coniuncta, vel passo applicata, coniunctione, & applicatione, quæ possunt exhiberi à nobis, sic eligimus sumptionem cibi, quem non facimus, quatenus illa potest fieri à nobis, & applicationem ignis, quem non producimus, quatenus ille potest à nobis cuiusque passo applicari.

II Ex his inferes cum communi Doctorum sententia, electionem esse actum voluntatis connotantem, vel supponentem actum intellectus: ita D. Thom. quæst. 22. de veritate artic. 15. vbi dixit, electionem dependere à ratione, tanquam à forma non simpliciter, vt existat, sed vt sit prudens, vel imprudens, quod eodem docuit Aristoteles 6. ethic. cap. 5. vbi dixit: *Quapropter electio, vel est intellectus appetitus, vel appetitus intellectus.* Et in hunc sensum explicandus est, D. Thomas 1. 2. quæst. 13. art. 1. vbi dixit, electionem materialiter esse in voluntate, & formaliter in intellectu. Hæc omnia clare docuit Aristoteles 3. ethic. cap. 3. vbi dixit: *Quid, aut quale quid est electio, cum nihil sit coram, quæ diximus, videtur itaque sponte quidem à nobis fieri, atamen non omne, quod sponte agimus, est eligibile, sed ad cuius consultationem antecesserit, electio namque cum ratione est, atque mente.* Et cap. 3. eiusdem libri subdit: *& ipsa electio deliberatiua operatio rerum erit earum, quæ in nostra sunt potestate.*

PUNCTUM II.

An distinguuntur intentio & electio.

§. I.

Proponuntur aliorum sententia.

I Explicui obiectum intentionis, & electionis, est modo explicandum, an voluntas eodem actu feratur in vtrumque, an verò prius feratur in obiectum intentionis volitione quadam, quæ voluntatem determinet ad aliam, quæ attingat obiectum electionis, ita vt hæc obiecta diuersis tangantur actibus: quam questionem sub alio titulo, videlicet an voluntas eodem actu feratur in finem, & in media propter finem, exagitant interpretes Diui Thomæ prima secundæ, questione 8. art. 3. & sub terminis à nobis propositam quæst. 12. art. 4. P. Vasquez 1. 2. disp. 33. cap. 2. docet, diuersum esse actum, quo voluntas fertur in finem ab actu, quo amat media propter finem, ac proinde esse diuersam intentionem ab electione. Refert pro hac sententia Gregorium in 1. distinct. 1. quæst. 1. art. 2. Marfil. 1. quæst. 4. artic. 1. dub. 2. P. Vasquium sequitur P. Gaspar Hurtad. 1. 2. lib. de actibus voluntatis disp. 3. diff. 4. qui ex eodem Vasquio docet, voluntatem finis indirectè, & quasi in obliquo, amare media, non verò directè, & expressè, & voluntatem medij similiter indirectè in obliquo

tantum finem attingere, eandem sententiam tandem tradidit Salas, qui postquam variè de hac scripserat 1. 2. tit. 5. disp. 1. sect. 6. n. 64. dicit, probabilius existimare volitionem finis effectiue concurrere ad electionem medij, ac proinde distinguere intentionem ab electione, & diuerso actu amari finem propter se, & media propter finem. Pro eadem sententia refero P. Iacobum Ruizium tom. de Prouident. lib. 3. disp. 36. sect. 5. n. 12. vbi ait, intentionem sine dubio concurrere efficienter ad electionem mediorum; tandem eidem sententiæ tribuo Auctores, quos pro illa refert idem Ruizius ibidem, plures enim illorum tantum asserunt, intentionem mouere ad electionem, vt constat ex verbis, quæ ex S. Thoma refert Ruizius, quod absque vllò influxu physico intentionis in electionem fieri potest, & adhuc hoc influxu physico admissio, in sententiam oppositam explicari possent illius assertores, vt dicam postea.

Voluntatem aliquando eodem actu amare expressè, & formaliter, finem & media propter finem docet Azor lib. 1. c. 25. q. 7. Salas supra n. 64. & alij innumeri apud ipsum n. 60. Eandem sententiam defendit P. Soar. 1. 2. lib. 1. disp. 8. sect. 6. cuius sententiam ex professo referam, plura enim in illa inuenio, quæ non leuem difficultatem audienti inferent. Docet n. 2. electionem semper habere idem motum cum intentione, & semper ipsa electione esse finem aliquo modo volitum, quamuis aliquando tantum virtualiter, & concedit n. 4. hoc fieri posse sine cognitione actuali finis, asseritque infirmum nihil cogitantem de sanitate, sumere potionem, quam non vult propter ipsam. Addit n. 5. per electionem posse amari finem expressè & formaliter, non vt obiectum, quod, sed vt quo. Et postea cum sibi obieciisset, non posse obiectum amari vt quo, quin amaretur vt quod: Respondet, finem amari vt quo, tantum esse, amari media virtute actuum precedentium circa finem, & sufficere, vt voluntas feratur in medium, vt ordinatur ad finem virtute actus respicientis finem, vt finis dicatur amari vt quo: sicut actu fidei quis credit obiectum reuelatum propter summam veritatem reuelantem, quamuis actu non credat, Deum esse summam veritatem reuelantem. Tandem concludit intentionem, & electionem aliquando realiter distinguere, tunc tamen electionem vni intentioni tanquam partem parti, ex quibus totum quoddam heterogeneum resultat, compositum ex intentione, & electione.

§. II.

Nonnulla præmittuntur ad propriam sententiam præcipue contra P. Suarium.

P Ro decisione questionis statuo, posse rationem aliquam esse obiectum vt quo amoris, vel odij, & non amari, vel odio haberi vt quod, sed tantum vt quo, v. g. esse rationem formalem, & motiuum, vt alia obiecta amentur, vel odio habeantur, ipsa tamen, neque amari, neque odio haberi, huius rei exempla passim suppetunt: vult Deus conferre malum aliquod poenæ propter peccatum commissum, malum illud est obiectum vt quod amatum: peccatum autem est obiectum, quo Deus mouetur ad tale malum inferendum, & obiectum vt quo amoris, seu prosecutionis erga poenam, non tamen peccatum illud est obiectum vt quod amoris, seu prosecutionis respectu voluntatis diuinæ. Deus displicet de obiecto peccaminoso v. g. de comestione carnis mala moraliter, obiectum vt quo huius displicentia est malitia, qua talis comestio constituitur moraliter mala, & in multorum opinione malitia conflatur ex ipsa actione, & libertate tenente se ex parte actus primi, & ex aliis circumstantiis, quæ Deus non odio habet, & in quibus non displicet.

Statuo secundò contra P. Soar. rationem aliquam esse obiectum quo respectu actus, seu actum respicere tanquam obiectum quo rationem aliquam, non esse fieri virtute aliorum actuum, illam respicientem, sed immediatè, & intrinsecè illam tangere, tanquam rationem formalem tenentem se ex parte obiecti respectu actus, quo amatur vt quo. Ratio est facilis: obiectum vt quo est id, quo voluntas mouetur ad obiectum vt quod, & ratio formalis sub qua voluntas tangit obiectum quod: ergo se debet tenere ex parte obiecti talis actus: ergo vt sit obiectum vt quo huius actus, non sufficit terminare alium actum à quo ille procedat, quia quilibet actus voluntatis proprium habet motiuum sub quo tangit obiectum materiale, & ex eo ratio aliqua est motiuum quo actus, quia ipso tangitur, non verò quia tangatur